



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 64. Callixtinorum errores in Bohemia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XVI. ac tunc nonnisi decimum octavum æta-
A.C. 1504 tis annum agebat: Ferdinandus igitur
 hujus nuptias ambiens, Oratores suos ad
 Ludovicum XII. decrevit, quæsito Iſa-
 bellæ mortem nunciandi obtentu. Rex
 Legatis perbenigne exceptis, dolenter
 mærorem de Reginæ obitu testabatur,
 iisdem vero de Archiduce, ejusque con-
 filiis sermonem inſpergentibus, Rex non
 minus, quam ipſe Ferdinandus adverſari
 videbatur; attamen cum hæc omnia
 minime præcipuum legationis caput re-
 ſpicerent, haud diutius illis immorati,
 ſine ambagibus exponebant, Regem eo-
 rum Dominum nuptias cum Ludovici
 Nepte efflagitare. Rex quidem primo
 tergiverſari, ætatis inæqualitatem cauſa-
 fari, atque obtendere, quod Ferdinandus
 potiori jure ejus Pater quam ſponſus es-
 ſet habendus; tandem vero eorum vo-
 tis acquievit.

§. LXIV.

*Callixtinorum errores in Bo-
hemia.*

*Bosſuet. hiſt.
 de variation.
 tom. 2. in 4.
 lib. II.*

Interim in Bohemia, & Moravia errores
 ſuos ſpargere pergebant Callixtini, ſic
 dicti, quod uſum calicis in ſacra Synaxi
 etiam Laicis omnino neceſſarium trade-
 rent. Hujus Sectæ caput erat Jacobel-
 lus, qui calicem unacum pane admini-
 ſtra-

strandum docebat, cujus errorem Bohemi amplectebantur, postquam crebris disceptationibus ultro citroque habitis, tandem eis Basileense Concilium pacis studio Communionem sub utraque specie indulserat, edito hanc in rem concordiaë diplomate, quod *compactatum* appellare solebant. Verum progressu temporis his minime contenti, Calicem etiam infantibus recens baptizatis propinandum contendebant, & Rochisana eorum Coriphæus, & Presbyter, ac Jacobelli Discipulus, cum esset Vir ambitione tumens, ac Pragensem Archiepiscopatum aucupandi spe dejiceretur, omnibus viribus impedire nitebatur, ne Bohemi ad Ecclesiæ Romanæ sinum redirent.

§. LXV.

Fratrum Bohemorum Sectæ initia.

Ceterum Calixtinorum secta æque ac Bohemorum fratrum, qui veterum Taboritarum a Podiebracio exterminatorum funestæ erant reliquiæ, in Bohemia semper prævalebat, donec Lutherus ad suam hæresin hos & illos pertraxisset. Prius vero Bohemi Fratres suorum numero adeo excreverant, ut novæ sectæ societatem conflarent, cujus Antesignanum quemdam Sutorem, nomine Petrum

M m 2 Kele-